



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. LIII. Non suffragetur dispensatio nisi litteris confectis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

Argumenta in Reg. LIII.
INNOCENTII. VIII.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Hæc Regula quando non obstat.</p> <p>2. Sumptum bullæ non continet tempus expeditionis ipsius bullæ.</p> <p>3. Hæc Regula est de dandis quia habet decretum irritans.</p> <p>4. Ex proemio oritur ratio dispositionis.</p> <p>5. Hæc Regula habet locum in his dispensationibus, quæ restringuntur per regulas Cancellariæ tantum, non de alijs quæ de jure communi restringuntur.</p> <p>6. Hæc Regula in quo aucta sit per novissimos Pontifices.</p> <p>7. An satis sit ad effectum hujus Regulæ, si quocumque tempore litteræ expediatur.</p> <p>8. Dispensatus ad tria incompatibilia, licet recineat illa bullis dispensationis non expeditis, non incidit in pœnam extravagantis execrabilis.</p> | <p>9. Gratia libet dicatur facta sine expeditione litterarum, non tamen sine litteris potest in exercitium deduci.</p> <p>10. An in foro conscientie gratia dispensationis sufficiat litteris non expeditis.</p> <p>11. Cautela ut sola signatura sufficiat.</p> <p>12. Supplicatio sola nullius est effectus extra Curiam, nisi addatur clausula quod supplicatio sola sufficiat. Et quid in foro conscientie hodierno.</p> <p>13. Absolutio à censuris sufficit in foro conscientie, etiam litteris non expeditis.</p> <p>14. Hæc Regula non procedit in dispensatione concessa accessorie simul cum provisione, seu alia conclusione sub quibus erant expeditæ litteræ.</p> |
|---|--|

Regula LIII. Innocentij VIII.

NULLI SVFFRAGETVR DISPENSATIO
NISI LITTERIS CONFECTIS.

Item cum concessionem super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint provide limitatæ, licet aliquando in petitionibus super huiusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, ne quis prætextu talium concessionum id dispensativè tenere, aut facere præsumat, ad quod concessionem huiusmodi se non extendunt, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio

NVLLI SVFFRAGETVR DISPENSAT. NISI LITT. CONFECT. 481
dispensatio cuiquam suffragetur, antequam super ea litteræ Apo-
stolicæ sint confectæ.

GLOSSEMA ALPHONSI.

A *I*sta regula dicit in effectu quod nulla dispensatio debet alicui suffragari, nisi littera de-
super sint confectæ, hoc dicit, & ponit magnum præmium: & credo quod sit facta in
utilitate tam pro Officialibus quam etiam pro alijs, & hodie fit in Curia quod qui vult
gaudere dispensatione, solvit duas taxas, & ponit bullam in plumbo, & quia ibi dicunt
expedita satis est sibi, ut dixi superius sæpenumero: quia cum plumbo dicitur bullata
bullæ & expedita, c. licet de crimio falli. sed alia est cautela in curia, si vis quod ista
Regula non obstat tibi, suadeo quod facias expediti quomodocumq; volueris, & producas
eius sumptum in iudicio, & non originale, ubi retro est quando fuit expedita, sed in
sumpto non ponitur. Item quod expeditas per Cameram si vis solvere unam taxam ultra,
ubi non ponitur quando fuit expedita. Miror tamen quomodo non inveniatur modum ad
tollendum has fraudes, scilicet quod etiam illud quod est retro bullam, scilicet quando
fuit expedita facerent etiam registrari. Hoc tamen cum isto officio sollicitatorum sive
generorum bene constat quando fuit expedita per librum eorum.

Item etiam alias vidi constare per Rescribendarium & per alios computatores & c:

Et hac Regula est danda, quia habet decretum irritans, & vidi etiam dari. Sed ponde-
randa sunt verba præmij hic, ex quibus colligitur ratio totius dispositionis l. si. ff. de hæ-
red. insti. & Bal. dicit in præmij C. §. quibus facit c. xcx dist. per qua verba
apparet istam Regulam habere locum in his dispensationib. qua restringuntur per regulas
Cancellaria tantum: secus de alijs qua restringuntur tantum de iure communi per ver-
ba præmij huius: tamen cogitandum est. Vnum tamen succinctè dicam, quod dispen-
satus ad plura incompatibilia, si illa detineat etiam bullis non expeditis, quod non incidat
in penam extravagantis Execrabilis per verba ibi posita: & sic intellexi alias sententia-
tum in Rotæ, & quia causa pendet taceo iura.

COMMENTARIA IO. A CHOKIER.

A *I*sta Regula) Convenit hæc Innocentij Regula cum alijs quas posteriores
Pontifices ediderunt, salvo quod in fine post vocem cuiquam Pius V. & alij
exinde addiderunt in iudicio & extra, ut tollatur omnis dubitatio quæ orta erat
ex sola signatura dispensationis, an quis tutus esset in foro conscientie. Itaque
Ooo 3 deci-

deciditur hic, neque in iudicio, neque extra, id est in foro interiori ejusmodi dispensationem suffragari.

B *Producens sumptum*) Sumptum enim bullæ non continet tempus expeditionis ipsius bullæ: Satis est autem ad effectum hujus Reg. si quodcumq; & quocumque tempore expediantur bullæ; Vnde si ante finitum iudicium quocumque tempore litteræ expediantur, gratia atque suspensio suffragabitur, quamvis in principio iudicij solo verbo concessa inveniatur. Ita post *loc. conf. 41 nu. 3. & lib. 3. Gomez in reg. de non judic. jux. serm. supplic. quest. 6. D. Joannes Gutierrez lib. 4. pract. quest. super. 2. part. Nova Collect. q. 9. nu. 4.*

C *Non incidit in penam*) Ratio est quod licet litteræ ante expeditionem non suffragentur, tamen re ipsa ipsi dicuntur dispensari, licet eis uti non possint, & sic non impeditur substantia dispensationis, sed exercitium, *Mand. ad Reg. quod commiss. caus. &c. : quest. 9. Gutierrez d. loco nu. 5. Mohedan decis. 3. de rescript. ubi scribit, quod licet gratia respectu gratiæ seu privilegij dicatur facta sine expeditione litterarum, non tamen potest sine litteris in exercitium deduci. Vnde in casu d. decisionis Mohed. 3. fuit per Rotam resolutum Episcopum non potuisse vigore alternativæ de beneficio providere litteris non expeditis. Sed an in foro conscientiæ gratia dispensationis subsistat litteris non confectis? D. Gutierrez lib. 4. q. super. 2. p. No. Collect. q. 10. scribit Hieronij Paulum in praxi Cancell. vers. Et faciunt hæc ad quæstionē, partem negativam tenere, hac præsertim motu ratione, quod quando Papa concedit illā gratiam videtur concedere sub tacita conditione, quatenus litteræ inde expediantur, & mens sua atq; intentio talis præsumitur ne gratia suffragetur, nisi fuerit expedita: idq; constare ex hac Reg. 53. & stylo Rom. Curiæ, qui stylus habet gratiam Papæ esse informem & non claram, nisi litteræ expediantur, quia alias gratia suam esse non habet: idemq; esse aut in omni casu, in quo esset de voluntate Papæ tacita, vel expressa, quod litteræ expediantur: quia ante expeditionem gratia sine peccato uti non posset, ut est in omnibus Commissionibus gratiis habentibus clausulam, *Vocatis &c.* vel requirentibus informationem, aut cognitionem, ut in dispensationibus super irregularitate & aliis similibus, in quibus utentes similibus gratiis litteris non expeditis, non sunt tuti in conscientia & ad fructuum restitutionem Cameræ tenentur. Secus autem in dispensationibus ad duo, & super defectu natalium & similibus, in quibus non videtur esse de mente Papæ expressa, vel tacita, quod dictæ litteræ necessariò expediantur ad hoc, ut in foro conscientiæ relevent dispensatum, sed tantum ut non suffragentur absq; expeditione, ut in hac Reg. habetur: hancq; partem negativam tuetur quoque Gemel ad Reg. de non judic. juxta form. supplicat. q. 9. Verum, prædictis non obstantibus contrariam tuetur sententiam doctissimus Gutierrez d. q. 10. nu. 4. & seq.*

Et seq. varijsque illam firmat argumentis & auctoritatibus inter quas est Abbas in de. Dudum in fi. de sepultu. quam sequuntur omnes moderni in Rub. de Constitut. quibus addit Rebuffum in praxi. tit. de dispen. ad plura nu. 41. & 42. qui cautelam pro securitate ponit ut faciat inscribere in signaturâ, quod litteræ dispensationis valeant & suffragentur in omnibus & per omnia à data presentium perinde ac si litteræ sub dictâ die expeditæ fuissent Reg. Cancell. non obstan. Sed pragmatici Rom. hoc rejiciunt, timentes jus bullæ, & lucrum amittere, licet quibusdam concedant: fa. not. Mohed. d. dec. 3. nu. 2. ubi supplicationem solam nullius esse effectus extra Curiam scribit, nisi addatur clausula, quod suppl. sola sufficiat. Sed cum à tempore Pij V. in d. Reg. ponatur in iudicio vel extra suffragetur, videtur non posse procedere quod ex D. Guitierrez diximus habentem solam signaturam tutum esse in foro conscientiæ, Nicol. Garcia tract. de benef. parte. 4. c. numero 13. absolutio tamen à suspensione seu alia censura obtenta sine litterarum expeditione valebit in foro conscientiæ, & sic intelligendus Navar. sup. conf. 29. Nec obstat hæc Reg. quia loquitur de dispensatione. Denique non procedet Reg. in dispensatione concessa accessorie simul cum provisione seu alia conclusionem super quibus erant expeditæ litteræ: Nam tunc satis est constare de dispensatione per supplicationem Cassad. dec. 35. sup. Regulis Rota dec. 85. lib. 2. & dec. 214. nu. 3. p. 1. divers. Garcia d. c. 1. nu. 33. Alias limitationes quibus sola signaturâ suffragatur litteris non confectis sumes ex ijs quæ supra scripti ad Reg. xxv. De non iudicando juxta form. supplicat.

Argumenta in Regul. I IIII. INNOCENTII VIII.

- | | |
|--|--|
| <p>Hæc Regula est partim secundum jus, partim contra jus.</p> <p>1. Promotio an à tempore dispensationis, an verò à possessionis pacificè sit attendenda.</p> <p>2. Hæc Regula non est danda.</p> | <p>4. Regula hæc non est inter Regul. Pauli V. nec aliz duæ sequentes.</p> <p>5. Qui possidet beneficium contra dispositionem in cap. licet canon an fructus suos, an interim fructus suos teneat.</p> |
|--|--|

Regula